



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus


**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Cap. I. De Justitia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**



# TRACTATUS

DE

JUSTITIA, ET JURE,  
ET INJURIIS, ET RESTI-  
TUTIONE.

## PARS PRIMA.

De Justitia, & Jure.

### CAPUT I.

*De Justitia.*

**N**ota. Justitia sumitur 1. Pro gratia san-  
ctificante, quam qui habet, dicitur ju-  
stus. 2. Pro complexione omnium  
virtutum, seu virtute generali. 3. Pro specia-  
li virtute morali, ut hinc.

*Q. I. Quid est Justitia, prout est Virtus  
specialis?*

*Resp. Est virtus moralis perficiens, & in-  
cli.*

D 3

clinans voluntatem ad constanter, ac perpetuo tribuendum unicuique jus suum, id est, quidquid ei debitum est ex Jure. Nam Jus hic sumitur non pro jure formali, quod est facultas legitima ad aliquid, sed pro jure objetivo, seu objecto illius facultatis, nempe pro debito ex jure, seu debito rigoroso. Duplex quippe est debitum; unum simplicis honestatis, & est illud, cujus violatione contrahitur solum turpitude moralis: tale est debitum gratitudinis. Aliud est debitum ex jure, seu debitum rigorosum, de quo solo hic agitur, & est illud, quod si non redditur, contrahitur non solum turpitude moralis, sed etiam obligatio restituendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam, quæ exigi possit ab eo, cui illud debetur. Justitia autem versatur circa hoc debitum rigorosum. Unde ejus objectum materiale est redditio debiti rigorosi: formale verò est specialis honestas hujus redditionis.

*Q. 2. Quomodo dividitur Justitia?*

*Resp.* Dividitur in legalem, commutativam, distributivam, & vindicativam.

Justitia legalis est virtus inclinans ad tribuendum communitati, seu Reip. debitum, ut debitum communitati propter bonum commune, sive ad præstanda ea omnia, quæ communitati debita sunt in ordine ad bonum commune. Dicitur legalis quia habet pro objecto id, quod debetur communitati ratione legum;

voca-

vocatur etiam generalis, quia versatur circa debitum ex jure communi, seu generali, quod habet communitas, sive ejus princeps, ad actiones, & bona privatorum in ordine ad bonum commune. Hæc justitia est vera species Justitiæ propriè sumptæ; nam versatur circa debitum rigorosum propriè dictum ut tale: communitas enim, & ejus Princeps habet verum Jus Justitiæ in subditos, ad exigenda ea quæ necessaria sunt, vel utilia ad bonum commune. Et vicissim est in subditis debitum, & obligatio rigorosa præstandi ea, quæ communitas, aut Princeps pro suo Jure exigat, in ordine ad bonum commune. Idque ex natura rei, nam stare non potest communitas sine tali jure in subditos.

Justitia commutativa est virtus inclinans ad reddendum ad æqualitatem debitum rigorosum particularibus vi dominii, aut proprietatis vel pacti, aut contractûs, alteriusve tituli particularis, ratione cujus habent Jus in re, vel Jus ad rem. Unde spectat Jus fundatum in titulo particulari, & æqualitatem rei ad rem. Sic vocatur, quia inter actiones quas moderatur, valdè frequentes, & illustres sunt commutationes, hoc est, mutua utrimque dationes, & acceptiones, nam versatur adhuc circa alias actiones, puta simplices distributiones, ut cum, v. g. datur quod promissum est liberaliter cum intentione dandi jus ad rem, promissione acceptata.

Justitia distributiva est virtus inclinans communitatem, seu ejus Principem, & Ministros ad distribuenda civibus bona communia, officia, munera proportionatè ad cujusque merita, & dignitatem: onera verò communia proportionatè ad cujusque facultatem, & vires. Unde spectat non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas, seu ad personarum merita, dignitatem, & facultates.

Justitia vindicativa est virtus inclinans Superiorem ad reum pro merito puniendum. Non est omnino contradistincta à commutativa, & legali, sed ad utramque pertinet sub diverso respectu: nam vindicta debetur læso, & communitati ex officio à Principe vel iudice, & sub hac ratione vindicta pertinet ad Justitiam commutativam. Item debetur Reip. ratione legum propter bonum commune; Reip. enim interest, & legibus statuit, ut puniantur crimina, & sub hoc respectu pertinet ad legalem.

Porrò violatio cujuscumque Justitiæ supra dictæ est peccatum ex genere suo mortale, juxta doctrinam omnium, inquit Suarez. Nam quælibet est virtus magni momenti. Unde ejus violatio in materia gravi, est gravis inordinatio.

CA-